

1328-1328- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Tholosam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud Tholosam celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XXVIII° ·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: vel de lapsu carnis manifester convictus fuerit, addatur: vel carceri sentencialiter et legitime fuerit mancipatus.

Item hanc: In capitulo de electione prioris provincialis in fine, ubi dicitur: si vero in provincialatu decesserint, deleatur totum, quod sequitur usque ad finem capituli et dicatur sic: si vero in provincialatu decesserint, libri et alia, que habuerint per provisionem ordinis a provincia vel a conventu aliquo, antequam essent provinciales, vel in ipso provincialatus officio, ad provinciam vel conventum, unde habuerunt, simpliciter pertinebunt; alia vero omnia, que habuerunt, sint illorum conventuum, de quibus assumpti fuerunt.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: maioris partis eorum consilio et assensu, deleatur totum, quod sequitur, usque ibi: et in aliis illi, ad quos mittuntur, et dicatur sic: si vero aliquem missorum studencium infra sex menses a tempore celebrati capituli mori vel legitime impediri contigerit, prior provincialis possit loco illius alium subrogare.

Item hanc, quod fiat memoria de beato Thoma de Aquino per octavas in laudibus per antiphonam: O Thoma laus et gloria; in vesperis per antiphonam: Collaudetur Christus rex glorie, cum versiculis de communi. Et hec in locis suis in ordinario annotentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: magister ordinis, addatur: vel capitulum generale. Et hec habet tria capita.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: hoc excepto, quod eos includi sicut in electione magistri ordinis non oportet, addatur sic: quod si magister ordinis sive capitulum generale aliquem fratrem illius provincie vicarium instituerit in eadem, volumus ipsum vicarium in predicta electione vocem habere. Et hec habet tria capita.

Item hanc: In capitulo de suffragiis, ubi dicitur: si aliquem illorum mori in via contigerit, addatur: vel in ipso capitulo. Et hec habet tria capita.

Item hanc: Quod in festo beatissimi archangeli Michaelis fiat festum totum duplex. Et hec habet tria capita.

Declaramus, quod in recepcione fratris conversi ad professionem requirantur due partes conventus cum consensu prioris, sicut in recepcione ad eius probacionem.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum sanctissimus pater et dominus noster summus pontifex magistro ordinis ac diffinitoribus capituli generalis apud Tholosam nuper celebrati, litteras exhortatorias miserit pro fratribus sufficientibus, ad gentes convertendas ad fidem Christi mittendis, cum plena indulgencia, que solet dari transeuntibus in subsidium Terre sancte, significamus fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis commisit singulis prioribus provincialibus, quod assignare possint fratres de suis provinciis, quos ad hoc repererint voluntarios, non nimis iuvenes nec nimis antiquos, bene religiosos, discretos et sufficienter literatos societati peregrinancium propter Christum. Qui sic assignati ad suas non possint revocari provincias, quoque ibidem experti fuerint, quem fructum per eos inter infideles fecerit Ihesus Christus. Ipsi quoque provinciales studeant quam tocius magistro ordinis intimare, quot, quos et quales fratres de suis provinciis invenerint ad hoc opus. Tenorem autem dicte litterae sanctissimi domini nostri mittit magister ordinis loco sue littere per totum ordinem in actis capituli generalis insertum.

Item. Volumus et ordinamus, quod pro bono ac tranquillo statu sancte ac universalis ecclesie fiat singulis diebus oracio in quolibet conventu, dum missa conventionalis dicitur, immediate terminato pater noster per psalmum: letatus sum, postea sequitur: kyrie eleison et pater noster, quo finito, sacerdos, qui dicit missam, dicat: Et ne nos, et conventus stans prostratus super formas respondeat: sed libera nos; et sacerdos subiungat versum: exsurgat deus etc. et chorus respondeat: et fugiant, qui oderunt eum etc. Item versum: fiat pax in virtute etc., et sacerdos subiungat: dominus vobiscum, cum oracionibus: ecclesie tue etc., et: largire, quesumus, domine, fidelibus tuis indulgenciam placatus et pacem etc.

Item. Cum ex eo, quod illi, qui debent esse ceterorum exemplaria in actibus virtuosis exorbitent ab illius itinere, quem dominus ducem et principem aliorum in tota universalis ecclesia instituit, sequatur in grege dominico perniciosus error, scandalosa imitacio ac dampnatum precipicum plurimorum, mandamus et omni distinctione, qua possumus, imponimus fratribus universis, nec non et magister ordinis, in virtute spiritus sancti et sancte obedientie, precipit fratribus universis, de diffinitorum consilio et assensu, quod Ludovicum quondam ducem Bavarie, hostem et persecutorem sacrosante Romane ecclesie ac per eamdem tanquam hereticum condempnatum nec non et omnes alias fautores eiusdem tanquam hereticos condempnatos vitent, ac interdictum occasione dicti perfidi Bavari per sanctam Romanam ecclesiam positum inviolabiliter servent, nec eidem Bavarо vel suis predictis fautoribus quocumque modo prebeant consilium, auxilium vel favorem. Si qui autem contrarium inventi fuerint facientes, pena carceris, ad quam ex nunc pro tunc eos adiudicamus, inviolabiliter puniri volumus, et mandamus eisdem mandatis et imposicionibus, quibus supra iniungentes, quod fratres in suis predicationibus

iuxta formam mandati apostolici processus noviter factos contra dictum Bavaram cum omni diligencia studeant publicare.

Item. Volentes vitare notam et scandala, que apud graves personas non immerito oriuntur ex inordinacione nostri habitus in qualitate et quantitate, imponimus, quod provinciales in suis provinciis et conventuales in suis conventibus cum omni diligencia studeant reducere fratres per preceptum eciam, si oporteat, ut in habitu nostri ordinis nichil habeant, quod paupertatem nostram valeat deformare; quinimo fratres omnes compellant portare habitum in brevitate caparum et capuciorum ac resecacione omnium curiositatum et superfluitatum inconformem nostri ordinis institutis. Et hec taliter exequantur, quod sequens capitulum generale certificari valeat, quod hec omnia per totum ordinem sint correcta.

Item. Cum ex nimio studii lapsu probabiliter sit timendum, ne ordo noster veniat in contemptum, mandamus cum omni distinctione, qua possumus, quod nullus ad aliquem sacrum ordinem promoveatur nec ad studium logyce mittatur, nisi in grammaticalibus, nec ad studium naturalium, nisi in logycalibus sit convenienter instructus. Ad studium vero theologie nullus mittatur, nisi predicta diligenter audierit et sufficienter profecerit in eisdem. Lectoribus autem et sublectoribus universis districte imponimus, quod lectiones suas continent, ceteri vero fratres cuiuscumque condicionis aut status existant, sequi scolas cogantur. Qui vero a scolis defuerint absque speciali licencia et expressa, ipsa die, sine omni dispensacione vino et omni pitancie sint privati; fratres eciam per priores et eorum vicarios ante terciam a locutoriis penis gravioribus arceantur.

Item. Cum ex eo quod aliqui in predicationibus ad populum conantur tractare quedam subtilia, que non solum ad mores non proficiunt, quinimo facilius ducunt populum in errorem, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus de cetero presumat talia in suis sermonibus pertractare; contrarium vero facientes ex nunc pro tunc adiudicamus pene gravioris culpe, imponentes eorum prioribus, quod absque dispensacione compellant ipsos facere penitenciam supradictam, et nichilominus nomina talium et ea, que sic predicaverint temerarie, magistro ordinis denuncient absque mora. Caveant lectores, ne in suis questionibus vel lectionibus talia periculosa vel que male possint sapere, doceant vel colorent, alias, postquam legitime quemcumque oppositum fecisse constiterit, per provinciale ab omni lectione et studio in penam deponantur, et nichilominus ceteris graciis ordinis priventur, secundum quod plus vel minus inventi fuerint excessisse.

Item. Volumus et mandamus, quod cum apostate unius provincie sive alii fratres, qui fugiunt ordinis disciplinam, ad aliam provinciam transiverint evagando, (quod) priores provinciales et conventuales, in quorum provinciis seu terminis fuerint, ad capiendum huiusmodi teneantur dare auxilium, consilium et favorem, quando per provinciales eorum fuerint requisiti, ne ex eorum discursu dampnoso ordo noster pati possit scandalum vel iacturam.

Item. Cum Christi milites non debeant iuxta apostoli sentenciam se negotiis secularibus implicare et maxime in talibus, que possunt cedere in periculum vel odium cuiuscumque, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater de cetero quocumque modo, verbo vel scripto, se de negotiis secularibus ex se odiosis et litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu aliquo multum utili et necessario eius priori provinciali vel conventionali, communicato super hoc plurium discretorum consilio, aliud videretur. Nullusque cuiuscumque condicionis aut status existat, sub eodem tenore precepti de guerris aut guerrarum negotiis directe vel indirecte se presumat intromittere, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condemnatum.

Item. Precepit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater pecuniam quantamcumque sive quecumque alia bona in auro vel argento et lapidibus preciosis extra commune depositum conventus teneat sine sui prioris provincialis vel conventionalis licencia speciali. Eodem tenore precepti inhibemus fratribus universis, ne mutua concedant vel debita contrahant cum personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis, sine suorum priorum provincialium vel conventionalium licencia petita et optenta. Omnes autem gratias quibuscumque fratribus ordinis concessas sub quacumque forma verborum a magistro ordinis seu a quocumque prelato ordinis inferiori, ordinacioni presenti et perceptis contrarias revocat magister ordinis et per presentes denunciat revocatas. Insuper abusionem illam detestabilem ac paupertati nostre contrarium, qua quidam fratres nostri ordinis in usu vasorum aureorum et argenteorum abutuntur pocius quam utantur, abhorrentes, omni distinctione, qua possumus, inhibemus, ne frater aliquis de cetero presumat uti talibus, quinimo ex nunc pro tunc sic utentem eisdem vasis privamus et ipsa suo conventui applicamus.

Item. Cum ex importuna mendicacione apud graves personas preces fratrum pauperum veniant in contemptum, prohibemus districte, ne fratres, in quorum provinciis et conventibus capitulum generale deinceps contigerit assignari, extra terminos sue provincie pro petendis elemosynis a quibuscumque personis exeant sine magistri ordinis licencia speciali.

Item. Significamus fratribus universis, quod privilegium olim datum magistro ordinis et prioribus provincialibus et conventionalibus super potestate licenciandi fratres nostri ordinis ad monachos nigros, ad instantiam ipsius magistri ordinis est a domino nostro summo pontifice totaliter revocatum.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater procuret se vel alium mitti ad studium Parisiense per aliquam personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam.

Item. Declaracionem et ordinacionem factam in precedenti generali capitulo de loco de Pera simpliciter revocamus¹.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sante obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater aliquis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere, nec de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali et expressa. Quicumque vero contrarium fecerint, preter transgressionem precepti voce et omnibus graciis ordinis sint privati. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et eorumdem vicariis generalibus, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Declaramus autem, quod procurator ordinis potestatem non habeat vocandi fratres ad curiam vel licenciandi fratres ad eamdem seu retinendi in eadem, nisi pro negociis ordinis directe tangentibus officium suum exequendis.

Letania more solito dicatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores s. Emiliani, si. Gaudencii, Morlanensem, Orthesiensem, Agennensem, Condomiensem, Ruthenensem, Marciaci, Bellividere et Burdigalensem. Et isti non resumantur ad eadem officia in eisdem conventibus isto anno.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino nostro summo pontifice quilibet sacerdos sex missas; et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Pro venerabili patre et domino domino Guillelmo Sabinensi episcopo cardinali² quilibet sacerdos · iiiii · missas et quilibet conventus unam missam de sancto Thoma de Aquino.

Item. Pro venerabili patre domino Matheo de Ursinis, tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbytero cardinali³, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabilibus patribus dominis Gauselino, penitenciario maiori⁴, Bertrando Tusculano episcopo⁵, Bertrando de Monte Faventio⁶, domino Napoleone⁷, domino Luca⁸, domino Arnaldo de Pelegruga, domino Raymundo de Fabricis⁹ et pro toto venerabili collegio cardinalium quilibet sacerdos · iii · missas.

Pro venerabili patre domino Petro cardinali episcopo Penestrino ac vicecancellario¹⁰ quilibet sacerdos unam missam.

Pro venerabili patre domino Hostiensi, apostolice sedis legato¹¹, quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domino Iohanne Gagetano, apostolice sedis legato¹², quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Compostellano¹³ quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domino archiepiscopo Tholosano quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domino archiepiscopo Tholetano quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro archiepiscopo Nichosiensi¹⁴ quil. sacerdos unam missam.

Item. Pro domino patriarcha Ierosolomytano¹⁵ et domino archiepiscopo Atheniensi¹⁶ et Thebano¹⁷, et dominis episcopis Lodovensi¹⁸, Baionensi¹⁹ et Apamiensi²⁰, archiepiscopo Lugdunensi quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino episcopo Aquensi²¹, nepote domini Sabinensis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino episcopo Mirapiscensi²² quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domino archiepiscopo Auxitano et dominis Carcassonensi, Calaguritano, Agatensi, Lascurensi, Albiensi, Parisiensi, Condomensi,

¹ Cf. supra pag. 171 l. 5 sqq.

² De fr. Guilelmo Petro Godin cf. supra pag. 103 l. 30.

³ De fr. Matthaeo de Ursinis cf. SSOP. I pag. 596; DENIFLE l.c. pag. 172, 173, 275, 441; EUBEL l.c. pag. 15.

⁴ Gaucelino Iohannis Deuza, Caturcensi, vicecancel lario, tit. ss. Marcellini et Petri, postea (a. 1330) ep. Albanen.

⁵ † 3 Aug. 1348; cf. ibid. l.c. pag. 14.

⁶ Bertrando de Turre O. Min.; cf. ibid. pag. 15.

⁷ Bertrando de Monte Faventio, diac. s. Mariae in Aquiro; ibid. pag. 14

⁷ Napoleone Ursino, diac. s. Adriani; ibid. p. 11 et supra pag. 95 l. 1.

⁸ De D. Luca cf. supra l.c.l. 3.

⁹ De DD. Arnaldo et Raymundo cf. l.c. pag. 126 l.13.

¹⁰ Petro de Prato (Després) Caturcensi, aep. Aquen. tit. s. Pudentianae, postea (25 Maii 1323) ep. Praenestin. †

¹¹ Bertrando de Poitto (Poyet), Caturcen.; ibid. p. 14.

¹² Ioanne Caietani de Ursinis; ibid.

¹³ Berengario de Landorra O. Praed.; ibid. pag. 207.

¹⁴ Ioanne O. Praed. aep. Pisan.; ibid. pag. 382.

¹⁵ Petro de Palude O. Praed.; ibid. pag. 287 et supra pag.

¹⁶ Stephano Mangiatero O. Praed.; cf. EUBEL l.c. pag. 116.

¹⁷ Isnardo Tacconi O. Praed., olim. patr. Antioch.; ibid. pag. 508.

¹⁸ Bernardo de la Guionie O. Praed.; ibid. pag. 323.

¹⁹ Petro de s. Jean O. Praed.; ibid. pag. 128.

²⁰ Dominico Grenier O. Praed.; ibid. pag. 95.

²¹ Iacobo de Concoz O. Praed.; ibid. pag. 96.

Rhutenensi et pro collegio dominorum canonicorum Auxitano de sancto Licerio, Oxomensi et Mimatensi quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino episcopo Godoronensi²³ quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino episcopo Ebroyensi²⁴ et inquisitore Tholosano ac domino abbe s. Germani Autisiodorensi quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo principe domino Philippo rege Francie et regina consorte sua et nobili prole sua quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro domino Edoardo rege Anglie et domina regina consorte sua, et domina regina matre eius, quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro domino rege Aragonie et tota domo sua quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domina regina Clemencia quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domina regina Iohanna relicta domini Karoli quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino rege Roberto et domina regina consorte sua et fratribus suis ac filio, et uxoribus et liberis eorum, et domino rege Castelle quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino rege Ungarie ac domina regina consorte sua et domino rege Boemie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina comitissa Atrabatensi, domina comitissa de Rosiaco et domicella Felicitate de Luceborc quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Roberto de Atrabato, uxore et liberis eius quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domino Iohanne Emanuelis quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro venerabili patre magistro ordinis quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro domina comitissa Fuccensi et domino comite filio suo, uxore sua, ac ceteris liberis, comite Armaniensi et domina comitissa consorte sua et domino Rogerio episcopo Vaurensi, avunculo suo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro priorissa de Pisiaco et monasterio ac sororibus Maria de Claramonte, Isabella de Valesio, Isabella de Atrabato quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro sorore (beata) Beatrice de Cayota quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domina Philippa vicecomitissa de Marentino quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro nobilibus viris Ugone de Palacio, Roberto de Castronovo quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro universitate cleri Tholosani quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro capitulo Tholosano et bono statu civitatis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro priorissa et monasterio Pruliani et sorore Ermina et priorissa de Ambresius quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina Margarita principissa Antiochie et domina Iohanna de Lara de Yspania, domina de Monteforti, domina Katerina de Villavech, domina Auta de Burlaco, domina Uga, sorore summi pontificis, domina Constancia de Mirapice, domina Condrosue Marestangno quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis infantibus Petro et Raymundo Berengarii, fratribus regis Aragonie, domino comite Convenarum, uxore sua, domino Rugero de Convenis, domino Philippo comite Brunensi, domino Franchisco de Mirapice, domino Petro de Castro Verduno, domino Arnaldo de Vilario, domino Raymundo Bernardi de Durefforti, domino Iohanne de Basvulla, domino Petro Raymundi de Rapistangno, domino et domina de Pinchino de Theutonia, et dominis canonicis de sancto Felice, domino Laurencio Nonscon, uxore et liberis et ceteris, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro hiis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum generale et recipient redeuntes, et pro hiis, qui habent literas de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. Pro fratribus et sororibus nostri ordinis et fratribus minoribus quilibet sacerdos · ii · missas.

Ista sunt suffragia pro mortuis.

Pro illustrissimo principe domino Karulo quondam rege Franche et Navarre quilibet sacerdos · iii · missas.

Item. [Pro] illustrissimis principibus quondam regibus Francie, domino Philippo patre, Ludovico, Philippo et liberis eorumdem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Edoardo quondam rege Anglie quilibet sacerdos · ii · missas. Item. Pro domino rege Aragonum quilibet sacerdos · iii · missas. Item. Pro domina Blanca de Britania quilibet sacerdos · ii · missas.

Item. Pro domino Karulo, comite quondem Valesii, et dominabus comitissa et imperatrice et domino Philippo Atrabatensi et comite Ebroyensi et domina consorte eius et domino Alphonso de Yspania, et domino Guastone quondam comite Fuccensi et Margarita filia eius, et domina regina, comitissa quondam Armanyaci, et Adelayde de Marestangno quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Sancio, quondam rege Maioricarum, quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domina marchesia, quondam comitissa Enpamarum, quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro domino Guillelmo Segnini milite, domino Karulo de Flisco, quilibet sacerdos unam missam.

²² Petro de Laperaiweda (Piret) O. Praed.; ibid. pag.360.

²³ “Godoronensi” legendum esse puto “Cotronensi” (Cotrone in Italia infer.).

²⁴ Iohanne de Prato O. Praed.; cf. EUBEL I.c.p. 243.

Item. Pro domino Roco de Mangono, quondam preposito canonico Petri Papiensis et domino Iohanne fratre eius et patre et matre eorumdem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina Veredina de Vivaldes quilibet sacerdos unam missam. Item. Pro venerabili patre fratre Aymerico, quondam magistro ordinis, quilibet sacerdos · iii · missas. Item. Pro domina de s. Albino et domina Maria de Vaucem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili patre fratre Herveo, quondam magistro ordinis et pro fratribus et sororibus nostris defunctis, et pro hiis, qui habebant litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos · iii · missas.

Pro qualibet missa superioris posita quilibet frater clericus non sacerdos · vii · psalmos cum letania et quilibet conversus centum pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Garinum de Giacho de provincia Francie²⁵.

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius fratrem Lupum de provincia Yspanie²⁶.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bachelaris et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicium approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Cistaricum in provincia Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant. Nullus autem aliis, eciam si licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capitulo ante · vi · feriam penthecosten immediate precedentem.

Quicumque autem sine licencia ad capitulo venerit vel loco capitulo appropinquaverit cum intentione veniendi ad capitulo, sit ipso facto per triennium omni voce privatus.

Declaracio quorumdam dubiorum facta in capitulo generali celebrati Tholose anno domini · m° · ccc° · xxviii° · Tercio, quod presidentes ordinis possunt dispensare cum illis apostatis, qui in apostasia divina celebrarunt, et hoc auctoritate illius privilegii, quo committitur prelatis ordinis, ut subditos suos possint absolvere ab omni sentencia excommunicationis late generaliter a iudice vel a iure; et videtur intelligendum de iudice, qui sit vel non sit de ordine.

Quarto, quod apostate ordinis ad ordines approbatos licenciati per priores provinciales, qui morari non possunt in monasteriis, in quibus recipiuntur, possunt ab eisdem absolviri a sentencia excommunicationis, quam ex constitucione ordinis incurrerunt apostatando. Idem intelligitur de sentencia lata a iudice pro quibuscumque causis et eciam magnis; et ita utuntur penitenciarii domini pape.

Quinto, quod prior potest instituere vicarium in conventu suo priorem vel fratrem alterius conventus, sed non debet facere nisi in necessitatibus articulo; et racio est, quia secundum iura ordinarius non potest committere vices suas alteri alterius diecesis.

Sexto, quod quando prior instituit vicarium, iste institutus non potest alium instituere, nisi sibi committatur per priorem; unde prior in tali institutione debet dicere: Ego te instituo vicarium et illum vel illos, quem, quosve duxeritis instituendos.

Septimo, quod prior potest committere subdito suo, quod confiteatur priori vel subdito alterius conventus, sed non alterius religionis vel secularibus clericis.

Octavo, quod in constitutione de lapsu carnis convicti incurrint aliquas penas, declaratum est, quod licet convictus proprie dicatur, qui per testes convincitur in iudicio; convictus proprie dicitur in hoc casu, qui peccatum suum prelato suo fatetur coactus per aliquam excommunicationem vel inclusionem aut arctam penitenciam, sive alias per censuram ecclesiasticam: unde talis convictus sic illas easdem penas constitutionis incurrit; si vero dicatur, quod cum confessio micius sit agendum: sic videtur, quod tales pene ad penitenciam gravioris culpe pertineant; et tales pene alie sunt privative, scilicet quando tales privantur voce vel graciis ordinis ex ipso statuto; unde in penis privativis tales penitencie sibi remitti non possunt, quia sunt canonis late sentencie, sed cum eo potest pocius dispensari; sed in positivis micius potest agi cum eo et precipue, si sponte peccatum suum [est confessus] et non coactus, aliter vero si coactus.

Nono, quod si aliquis nobilis laicus simpliciter sine litteris ad habitum clericalem recipiatur, propter eius nobilitatem non teneatur [ad] dicendum officium clericorum et alia clericorum officia facienda.

Decimo, quod frater clericus, exigente culpa, potest per prelatum suum privari habitu et graciis ordinis clericorum, et sic fieri conversus, dummodo non fuerit promotus ad sacros ordines.

Undecimo, quod prior provincialis potest committere vicario suo generali, ut instituat vicarios particularium nationum.

Duodecimo, ad intelligenciam illius clausule in capitulo de gravi culpa, ubi dicitur: quod talis, quamdiu fuerit in penitencia, non communicet etc. ante plenariam satisfactionem, dicendum, quod ad satisfactionem plenariam requiritur unum duorum, scilicet debita solucio ex parte illius, qui tenetur, aut relaxacio ex parte illius, qui relaxare potest, sicut videmus aliquem satisfacere dicitur de debito duabus modis, scilicet solvendo debitum ex parte sui, vel relaxato ex parte eius, cui tenetur, qui debitum relaxare potest. Eodem modo in proposito, si aliquis

²⁵ De fr. Garino cf. supra p. 172 l. 18.

²⁶ De fr. Lupo Alphonsi de S. Iuliano cf. DENIFLE l.c. pag. 312, 330, 339, 354.

recipit penitenciam faciendam usque ad decem dies vel ad alium terminum, et eam fecerit, plenarie satisfacit; item si prelatus relaxat, satisfacere dicitur.

Terciodecimo, quod nullus prior potest concedere rem pertinentem simpliciter ad conventum sine consensu eiusdem conventus.

Quartodecimo, quod in qua provincia, in qua nostri conventus non excedunt numerum predicatorum generalium, si fiant de facto aliqui predicatores generales, illi secundum veritatem non sunt censendi predicatores generales, cum non sint nec debeant admitti ad ea, que tractantur in capitulo provinciali vel mittenda [sunt] ad capitulum generale.

Decimoquinto, quod dispensacio facta cum apostatis ante terminum et si fiat de facto, nullo modo valet.

Actis additae sunt litterae Ioannis XXII; cf. BO. tom. XXII p. 178 n. LXII.